R. 8. May 81
ACAD. REGD. BAT. BIBL.

Viro Illustri
D. Constantino Hugenio
a Zulichem

Andreas Arnoldus S. P. D.

Vix heri vesperi domum redeo, atque intelligo, non dari facultatem ullis meis. quam acerbe istuc feram, tute potes cogitare, qui animum meum satis cognosti. volebam Tua uti benevolentia, quoniam tam facilis fuisti, ac una adhuc vice Hagam excurrere, ita, ut gratias tibi agerem, et precarer quam optime. Nunc fieri aliter non potest, nisi ut literis hoc officium imponam. Gratulor igitur, optime Constantine, tibi ago habeo gratias, qui amari te a me passus es, meq amasti ipse. qui splendorem doctrinae Tuae exposuisti menti meae, ut, qua ad tantum fastigium non accedunt, valeat discernere, cupidior rerum magnarum. Vera et ignota penitq, manifestasti. Uno verbo, mille fructy ex consuetudine Tua tuli; neq tamen ita magnifice quicquam dispero, quin virtq ad superet Tua. Vive, grande decus Batavorum, vive, et patriam diutissime adjuva divino consilio. Serva artibus dignitatem, gaude Tua felicitate. Nos constanter

pro Te

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Arnoldus) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7170a

pro Te vota suscipimus, et pro filio, centum, mille, et amplius. DEUS salvum cupiat tantum familiae ornamentum, gloriam exterorum, ut tu laetitia exultes, ego olim virum expiar amicum. Vale iterum, Vir Illustris, nec mei unquam depone memoriam. Dab. Lugd. Batav. a. d. VII. Maji. cIↃ IↃCLXXXI.

P. S.

Injunge obsecro amanuensi saltem Tuo,
ut nomen Principis feminae Lusitanae,
quae superiore anno Delfis obiit, ~~[illegible]~~ propediem
vel unica lineola indicet. Urget amicus,
neque est aliquis, qui me id doceat. Multum vale.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Arnoldus) 3
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/7170a